

Q.N. 126, 2.

(X202 0901)

Yc  
95

ORATIO  
*de*  
 IENAE,  
 Celeberrimi Musarum domi-  
 cili LAUDIBUS,  
*Pietatis ergò publicè  
 habita*

SALOMONE JUSTINO HOR-  
 STIO, Jenens. Thuring.  
 A. O. R.  
 M. DC. LXV.

---

Typis JOHANNIS VVERTHERI.

BIBLIOTHEK  
 PÖNICHEN

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
 HALLE  
 (SAALE)





VIRIS

*Patricia dignitate, insigni Eruditione, Virtute & Au-  
toritate integerrimis ac maxime conspicuis,*

DN. HEINRICO HORSTIO,  
Civi & Mercatori oppidi Brunsvicens. cu-  
riosissimo,

DN. VVILHELMO Schaffelden/  
ibidem Civi ac Aedili prudentis-  
simo,

DN. BALTHASARO MEYERO,  
ejusdem oppidi Civi ac Mercatori pri-  
mario,

DN. PHILIPPO Hoggreven/  
ibidem Civi ac Chiliarchæ gravis-  
simo,

*Dnn. Patrueli, Affinibus, Promotoribus, Patronis, ac Fau-  
toribus omni observantia cultu, ac perpetuo honoris  
& amoris affectu valedictionis locò*

Exercitium hocce Academicum  
in debitæ pietatis testimonium, gratique animi  
symbolum ac studiorum suorum commen-  
dationem valedictionis locò

*officiosè ac humiliter*

*offert & consecrat*

SALOMON JUSTINUS Horst/  
Jena Thuring.



PHILIPPUS

MÜLLERUS, Eloquent,

& Poës, Professor Publicus Ordinarius

B. L. S. D.

**I**nter prælustria nostri

amoris ac reverentiæ argumenta non postremum nomen est PATRIA, gradu à supremo Numine princeps, morâ interminabilis, pretio agnatis, parentibus, bonis, honore, vita & salute omni augustior credita non vulgi saltem aberrantibus ut plurimum opinionibus, sed & maximorum omni ævo virorum, quos seriò id censuisse, facinora, bono Patriæ cum præsentis perniciæ charissimorum vitæ pignorum patrata, abundè confirmant. Hinc

*Cicero Offic. I. Cum omnia, inquit, ratione animoque lustraveris, omnium societatum nulla est gratior, nulla charior, quàm ea, quæ cum republicâ est unicuique nostrum. Cari sunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares; sed omnes omnium caritates patria una complexa*

A 2

est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si sit ei  
profuturus. Cui consentanea loquitur Valerius  
Maximus L. V. c. 6. Patriæ majestati etiam illa, quæ  
Deorum numinibus æquatur, autoritas parentum vires  
suas subiecit, fraterna quoque caritas æquo animo & li-  
benti cedit. Nec diversi abeunt Plato in Crito. & a-  
lii communiter. Contrà igitur sentientes, quam-  
vis virtutis & sapientiæ manifestos, juxtà patriam  
& patriæ exiliū, & patriā, Mundū, aut, ibi cunq̄, bene sit,  
arbitratos vix sine piaculo fore putaveris. Sanè  
rem ipsam, semoto partium studio & præjudiciis,  
intuiti cōperimus, Patriā esse inter ea, quæ cultū  
sui non nisi obtentu beneficiorum exigere possunt.  
Hæc à grato cive pensari æquarive, quin & supe-  
rari ac patriam ipsam illi ærariam fieri posse, vix  
est cur ambigas, si, quid patriam, quæ patriæ benefi-  
cia appellare fas est, penitiùs exquiras. Indè enim  
ducta meritorum patriæ æstimatione, quantum re-  
pensuro incumbat & liceat, protinus apparebit.  
Sive jam spectemus patriam loci & nature, quam  
Cicero l. 2. de ll. vocat, cujus *κτῆνα* ipse pater fuit,  
ut Lucianus *Encom. patr.* loquitur, & quæ te na-  
scentem excepit, non plus ei, quam spondæ, cui  
mater parturiens tūm fortè fortunà incubuit, de-  
bueris, quicquid Lucianus cit. loc. cum aliis o-  
ratorio more efferat. Sive illa sit patria juris &  
civitatis, ubi adversus injurias tu resque tuæ re-  
gun-

guntur, animum cum corpore rebus gerendis  
præparandi & virtutem spe grandium præmio-  
rum ostentandi facultas præbetur, facile constat,  
his beneficiis, utut ingentibus, redhostimenta ta-  
men *ισόρροπα* inveniri posse. Quo posito, non re-  
stinguetur debitæ in patriam gratitudinis & reli-  
gionis ardor, sed vehementiùs effervesceat in bonis  
mentibus, quæ summo studio connitentur, ut &  
immane *ingratorum* probrum defugiant, & quoad  
ejus fieri possit, cum patria de *mutua* beneficentia  
decertent. *Hæc enim non destruunt patriæ veneratio-  
nem* (accommodo huc Senecæ de officiis in pa-  
rentes verba *Lib. III. de Benefic. 39.*) *nec deteriores cives  
faciunt, imò & meliores. Natura enim gloriosa est vir-  
tus & anteire priores cupit. Alacrior erit pietas, si ad  
reddenda beneficia cum spe vincendi venerit. Hoc agite  
optimi cives. Posita est inter vos & patriam honesta conten-  
tio, dederit majora, an acceperit. Non ideò vincit, quia  
occupavit. Et cap. 38. Ad hoc unum contumaces estote, ne  
beneficiis vincamini. Certate, obsecro vos & fusi quoque  
restituite aciem. Felices, qui vicerint, felices, qui vin-  
centur.* Proindè cum auctoratus tibi à patria  
spiritus sit, hunc in ejus salutem, incrementa, de-  
cus prodige. *Dominiū istud vitæ habes, ut e-  
am maturiùs absumentam patriæ loces, malis-  
que, ut illi Romanorum Horatii, Decii, Curtii,  
pro multis perire, quàm cum multis. Si vocent*  
ex-

extrema pericula cunctos, nullam immunitatem  
tantam duxeris, ut dubites pro aris & focis arma  
capere, tueri stationem assignatam, & pericula  
ultrò de poscere. Præbetur is campus tuæ vir-  
tuti, ut nomina tua apud patriam dispungas, si  
insolitis ausibus, cum Scævolis, Scipionibus,  
Mariis, patriam eo loco statuas, quo subnixa sa-  
lutem & felicitatem suam tibi SERVATORI im-  
putare non erubescat. Hæc certa sunt admini-  
cula, quibus æs nostrum Patriæ dissolvimus &  
ipsammet nobis reddimus debitricem. Quò et-  
iam non immertò retulerimus *gloriosam Patriæ  
commemorationem*, quâ subvectâ famam sui in or-  
bem terrarum digerat, & illorum, qui alio sub  
sole calescunt, miracula concitet. Nam quod  
de *Bellis Darius, Curtius l. III. id de civitatibus* rectè  
dixeris: *magnam partem ipsarum famâ constare* Quæ  
præsentia minuitur, majestas ex disito venerabi-  
lior est. Unde magni homines pulchrum cre-  
diderunt, *ut benefacere reipublicæ, sic benè de ipsa dicere,  
ejusque memoriam quàm maximè longam, virtutem cla-  
ram & æternam efficere.* *Salust. Catill.* Quod, judici-  
um, reputata animo meritorum, quibus ipsum  
JENA nostra dignata est hæctenus, magnitudine,  
amplectitur Eximius Dn. SALOMON JUSTI-  
NUS HORSTIUS. Tributum sibi meminit

in-

ingens *benè nascendi* beneficium à loco tantà claritate corusco, datumque Parentem amplissimæ doctrinæ & famæ Dn. PHILIPPUM HORSTIUM Pract. Philos. & Orator. Professore per tot annos celeberrimum, cujus beatum excessum superiori anno luximus. Nec obstetrix modò nascenti JENA, sed & nutrix alumno ingenii que ac morum formatrix indulgentissima extitit. Fortes enim creari fortibus & bonis, esse in Juvenis, esse in equis patrum virtutem, planum est; quod verò humanam progeniem concernit, Doctrina vim promovet insitam, rectique cultus pectora roborant. Utcunque defecere mores, dedecorant benè nata culpæ Horat. *Carm. L. IV. Od. 4.* Dignum ergò se huic Spartæ civem daturus, Clarissimi Parentis æmulator, JENÆ, Patriæ dulcissimæ, *Decora* publico præconio, *add. X. hujus Mensis, Horâ X. matutinâ in Auditorio Majori,* professum ire satagit, meq; interprete splendidissimam Academicæ Civitatis præsentiam ea, quâ decet, submissione desiderat. Laudanda omninò in honesto optimi Juvenis cura jugiq; animanda plausu, à me non potest non enixè sublevari, qui MAGNIFICUM Dn. RECTOREM, PROCERES ACADEMIÆ INCLYTOS, CIVES item OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMOS, per me-

mo-

moriã tũm conjunctissimi quondam COLLEGÆ,  
rũm DOCTORIS meritissimi, ut HORSTIUM no-  
strum sui voti reum faciant, meo quoque nomine  
perquã officiosẽ & amanter veneror. P. P.  
d. VII. Maji, A.S., M. DC. LXV.



I.N.D.



Magnifice Domine RECTOR,  
 Patres sanctè venerandi,  
 Auditores omnium Ordi-  
 num splendidissimi & ho-  
 noratissimi.



Uæ Romanæ Civitatis magni-  
 tudini olim habita religio me-  
 moratur, ut ab servilibus adu-  
 lantium populorum ingeniis a-  
 ræ ipsi, ut numini struerentur,  
 illa puriori veneratione in be-  
 nefactricem PATRIAM abs quolibet justius de-  
 pendere videtur, animis gratitudinem professis alta-  
 rium, affectu verò, laude, operaque salutari thur-  
 ris & hecatombiarum vicem fungentibus. Sum-  
 mo enim planè honore & charitate ingenuâ, PA-  
 TRIAM ab omnibus esse prosequendam, non  
 communis modò gentium consensus, sed & ipsa  
 rei justitia exposcit. PATRIA sanè est, cui vitæ,  
 principis hominum boni, primordia imputamus,  
 quæ victum & securitatem viventibus largitur,  
 B à qua

*Vide Ju-*  
*stin. l. 2. c. 1.*  
*Curtium l.*  
*8. c. 9. & l. 7.*  
*c. 6. Tacitū*  
*H. L. 2. c. 93.*

*In Crit.*

*Cicer. Phi-*  
*lipp. XLV.*

*Lucian. En-*  
*com. Patr.*

*Horat. Lyr.*  
*8. 3. Od. 2.*

à qua incrementa ingenii & felicitatis potissima excipiuntur. Unde non corporum solum dispositioni & diuturnæ consuetudini adscribere fas est nostros in PATRIAM amores, sed cum primis, si bene meritis gratiæ, si amatori reciprocus ardor debetur, PATRIA est, cui post DEUM immortalium numini maximo, ut Plato bene vocabat, nostra studia, decus & obsequium quantumcunque consecratum ire tenemur. Vix igitur ullus tantæ feritatis, tam barbarus, tam ab omni humanitatis sensu alienus extiterit, cui inter neglecta & vulgaria habeatur PATRIÆ charitas & veneratio. Occulta est animis que ante primos vagitus infixæ benevolentia, qua ceu ferrum à lapide Herculano, trahimur, ut sequi PATRIAM, colere, tueri in lucro & gloriose factorum fastigio collocemus. Fortunata inde mors, quæ naturæ debita pro PATRIA potissimum sustinetur, inque pugnam descendentes nulla exhortatio vehementior, quam PATRIÆ salutem in acie versari, quò auditò nemo sustinet ignavus amplius esse, nemo senii maturitate missionem indeptus non retractare suspensum clypeum. Adeò dulce & decorum est pro PATRIA mori. Quò minus mirabuntur tam celebrata ULYSSIS in ITHACAM, quantumvis lapidibus, & senticetis horridam, di-

vino

vino CALYPSUS consortio prælatam, & barbaro-  
rum ad sua frigora ex Paradiso EUROPAE ITALIA  
ruentium desideria, ut laurum expalpassit Poëtae  
vel unum istud:

*Ovid. l. i. de  
Pöt. Eleg. 4.*

Non dubia est Ithaci prudētia, sed tamē optat,

Fumum de Patriis posse videre focis.

Nescio qua natale solūm dulcedine cunctos,

Ducit, & immemores non sinit esse sui,

Quid melius Roma? Scythico quid frigore pe-

Huc tamen ex illa barbarus urbe fugit. (jus?

Quo certiozem benevolentiam pollicebor mihi,  
PATRIAM magni æstimanti, & pro nutritu col-  
latisque tot beneficiis seriò commendandæ cupi-  
dine tacto. Quin & cum alii sic ardeāt PATRIAM,  
ut supremum affectum consequatur par lauda-  
tio, omninò confido in sinisteriorem partem haud  
mihi versum iri, quod homo facundiæ nescius &  
Minervæ Suadæque abortientis potiùs, quàm  
parientis mola; hodierno tamen die cathedram  
PATRIÆ laudandæ ergò conscenderim. Vos cer-  
tè, Auditores Eminentissimi, eople argumento in-  
ductum iri non dubito, ut meam hanc oratiuncu-  
lam, rudem stylo filique crassioris, artis limæ elo-  
quiique purioris ignaram, quæ solius argumenti  
& brevitatis titulo placebit, faventi lingua bal-  
butientis ab ore excipiatis.

B 2

In-

Vossius Rbe-  
tor. Comm.  
l. 1. c. 5. n. 39.  
à Scaligero  
Poët. l. 3. c.  
120.

Ovid. Me-  
tamor.

Poët. l. 3. c.  
120. p. m 383.

Aventinus.  
Sic Sallust.  
Præf. Cati-  
lin.

Inter cætera suæ gloriæ argumenta, quibus  
populi ac civitates olim sese magnificas ostenta-  
verunt, Antiquitas originis non postremo loco  
habita est. Undè exauditum Aboriginum in  
Italia nomen, nec minus Phrygum & Ægyptio-  
rum, & horundem cum Scythis acerrima de or-  
tûs antecessu certamina. Jactabant sese Theba-  
ni *κααετῆς* è dentata Cadmi semente natos, Arca-  
des *αεγεσλήνων*, id est ante-lunarium titulum aucu-  
pabantur, & Athenienses sese *αυτόχθονας* esse con-  
tendebant. Et quis Veterum, quorum fama nos  
facit conscios, heroum sibi genus à Jove sum-  
mo non credi voluit, ac si istud, quod Julius Sca-  
liger communem insaniam vocabat, ingens ad  
gloriam & majestatem momentum adderet.  
Veneremur sanè hanc canitiem. Nostra autem  
JENA annon tantum hâc parte eminebit, si ple-  
rasque omnes Thuringiæ ac aliarum regionum  
urbes aliquam multas respicimus, quantum lenta  
solent inter viburna cupressi.

Quantum enim in gentis nostræ, cui insi-  
gnia facinora patrandi potior, quàm scriptis tra-  
dendi cura fuit, rerum gestarum monumentis  
sparsim reperire licet, Anno salutis nostræ mille-  
simo trecentesimo primo, adeoque antè tercen-  
tum sexaginta quatuor Solaris orbitæ circuitus,  
Fri-

Fridericus, cui ardens avulsæ à natis charissimis  
& pulcerrimis, per illaudatos Patris mores, ma-  
tris amor Admorsi cognomentum fecit, Elisa-  
bethæ Marusani Comitissæ, Ottonis filiæ, in matri-  
monium ductæ dotem crevit, quartam JENÆ no-  
stræ partem. Et ut altius adscendam, quem la-  
tet, tumulatum hîc Eccardum, cognomine ju-  
stissimo Fidum, qui Marchio Saxonix, & Eccar-  
disbergæ conditor, Ottonis Svævorum Ducis fi-  
liorum ultragenitorum primus, Ludolphi ne-  
pos, Ottonisque secundi pronepos ac Gregorii  
Quinti Papæ Romani frater germanus, princeps  
heroâ animi præsentia & factis inclytus, Polledæ  
per insidias cœsus est. Cujus cadaver à Svan-  
hilde conjuge, & Hermanno filio JENAM, illo-  
rum sedem principalem translatum, & in æde sa-  
cra honorificè conditum novimus. Id verò  
contigit Anno salutis millesimo secundo, quò  
tempore JENA jamdudum Solio principis magnis  
qui imperiale fastigium non intempestivo ausu  
appetierat, insignita Abbatia etiam, cui tunc Al-  
ferus præfuit, venerabilis, evidenter suos canos  
ostendit. Nihil repente magnum & quod ex-  
cellos animo & ordine viros moretur. Tractu  
opus est illi, ut crescat, urbibus præsertim, qua-  
rum plerumque lentiora incrementa sunt. Ut

*Peucerus  
Chron. l. 5.  
sub Adolphe  
Imper.*

*Fabric. Sa-  
xon. è Det-  
maro.*

*Reusner. in  
Famil Wi-  
eikind.*

*Heider. O-  
rat. Vol. 1.  
or. 6. f. 270.*

*Relat. è Par-*  
*nass. Cent. I.*  
*Relat. 50.*

*B. Augusti-*  
*nus optavit*  
*videre Ro-*  
*manam in flo-*  
*re, Paulū in*  
*ore, Christū*  
*in carne.*

*Virg. Æn. 1.*

conjectura inani ducti non videantur, qui Sora-  
 bis Henetis, per Dagobertum Francorum Re-  
 gē, Anno Salutis sexcentesimo quadragesimo, ex  
 his terris expulsis, JENÆ initia tribuerunt. Verum  
 incerta temporum non recento, ut ea, quorum  
 ratam fidem obliviosa vetustas abolevit, ancipiti  
 in utrumque assertione temerè asseverem. Ve-  
 reri enim est, ne quō remotior origo, eò vilior, ut  
 dare sese initia solent. Sicut Italo illi Marchio-  
 ni, eruento Scipione Ammirato, ab illo in id con-  
 ducto, inter majores lictor,isque suō scelere col-  
 lare à restiario meritus, primus autem generis  
 auctor Judæus, referente Trajano Boccalinio, re-  
 pertus est; Rectè etiam Maximilianus primus Im-  
 perator curiosum Austrii stemmatis scrutatorem  
 averfatus est, ne stirps, quæ crederetur diis genita  
 & genitura Deos, in sutore vel sartore orta esse  
 deprehenderetur. Interim, sat à septem seculis  
 nobilitatis, sat à tantis civibus, sat à cathedra.  
 DEO sacrâ gloriæ JENAM traxisse existimo. Cœ-  
 terum, ut aliquibus longè gratior Romæ flo-  
 rentis, quàm nascentis aspectus fuit, sic nobis JE-  
 NÆ nostræ, quibus jam fulget, radiantissimi splen-  
 dores: præstringunt illi & obruunt me, ut, si o-  
 mnia referre velim, antè diem clauso componat  
 vesper Olympo.

Vc.

Verum in hoc pictores æmulabor, summa le-  
 gens vestigia rerum, & indicia nonnulla in JENA  
 nostrâ, NATURÆ, ARTIS & GRATIÆ divinæ vo-  
 bis exhibebo. Plurimum enim naturæ debere  
 JENAM, non ratio magis, quam sensus ipse testa-  
 tur. Non ego hirsutam hiemem floribus inve-  
 stio, non locum informem, cœlo aspero, cultu  
 tristem, adspectuque in universum aut sylvis hor-  
 ridum, aut paludibus foedum & frugiferarum  
 arborum impatientem, quibus Titulis Germani-  
 am olim Tacito dedecoravit. Quæ enim heic cœ-  
 li clementia est? Non aërem Sirius incendit, ut  
 Mauritanorum specus subterraneos desiderere-  
 mus, non hiemem Moscovitica, Lappica & Zem-  
 blana frigora exasperant, non autumnum imbri-  
 um foeditas, quibus Aurea Guinea infestari sta-  
 tis temporibus memoratur, corrumpit: Veris  
 autem quæ gratia est? An alios prima crescentis  
 origine mundi illuxisse dies aliumve habuisse te-  
 norem crediderim? Quanta ex hac temperie salu-  
 britas? Italia,

*Tacit. de  
 Mor. Germ.  
 adde Cesa-  
 rem l. 6. de  
 Bell. Gall.  
 In spec.  
 Diod. Sicul.  
 Oleari Perf.  
 Hodæpor.  
 Massauische  
 Lorbeer Cr.*

*Itin. Raleg.  
 Virgil. Ge-  
 org. 2. p. 57.*

Cui neque Medorum sylvæ ditissima terra, *Georg. l. 2.*  
 nec pulcher Ganges, atque auro turbidus *p. 50.*

Hermus,  
 certent: — non Bactra, nec Indi,  
 totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis,  
 Si

x  
 n  
 n  
 ti  
 e-  
 ut  
 o-  
 n-  
 l-  
 ris  
 e-  
 m-  
 m  
 ita  
 lle  
 lis  
 ra.  
 æ-  
 lo-  
 JE-  
 en-  
 o-  
 nat  
 Ve-

*Amat. Lu-  
sit. Cur.  
Med. cent.  
3. c. 74.*

*Merula  
Cosmogr. p.  
2. l. 4. c. 28.*

*Salubritas.*

*Anno 1635.*

*Soli bonitas.*

*Vide Bar-  
clai Argen.  
l. 2. De-  
script. Urbis  
Lixæ. p. m.  
188.*

Si verus laudator Virgilius est, Italiae, in-  
quam, urbes præcipuæ, Ariminum, Pisæ, Anco-  
na, aeris gravitate laborare, ipsæ Venetiæ, ille  
Italicarum deliciarum complexus, febribus pesti-  
lentialibus, civilissima Ferraria tertianis nothis  
obnoxia comperitur; Romani autem cœli eâ  
intemperies, ut cives medicorum jussu circa di-  
luculum & crepusculum abstineant publico, nisi  
sol splendeat, nec sine causa Alexander Petroni-  
us Romanus Medicus de tuenda Romæ valetu-  
dine scripsisse dicatur Merulæ Cosmographo,  
Ecquis ullas ferè morborum à corrupto aère le-  
giones JENÆ exhorret? quam ventorum sese in-  
vicem incurfantium certamina ab exhalationum  
impuritate liberant, adeò, ut Serenissimi harum  
regionum Præsides, grassante alibi peste, huc  
plus vice simplici sese cum aulico omni comita-  
tu contulerint. Addite, quàm consentaneis cœ-  
lo amplexibus natura mater JENAM nostrâ mol-  
lissimâ sinûs sui parte foveat. Non anxia arte il-  
li quæsitus decor, plura naturæ debet, cujus faci-  
litas atque ingenium omnes artificum labores  
prævertit. Tumuli utrinque leniter assurgen-  
tes, crescente molliter campo, suam nuditatem  
hortis vinetisque intexerunt. Inde sub collium  
radicibus uberrima pastu prata se eâdem viridita-  
tis



tis hilaritate porrigunt; culta novalia spem fru-  
gum adolescentium prolixam ostendunt; Ipsam-  
que sub montium jugis sponte extensam planiti-  
em gratissimis erroribus perlabitur Sala; SALA in-  
ter celebres Germaniæ fluvios multis retrò secu-  
lis habitus, aquarum salubritate, piscium suavissi-  
morum copiâ, fluxus in fonti cursu maximè insi-  
gnis. Si oculos longius mittimus, montes parte  
sui sterilescientes delectant animum mutatione  
conspectûs & propinquam felicitatem blandiùs  
commendant asperitatis imagine. Quid memo-  
rem circumjectos agrestium pagos, qui suctu  
prosperitatis nostræ freti omni frugum, fructu-  
um, altilium abundantia forum nostrum replent,  
ut, qui vini non minus fere quam aquarum habe-  
mus, obsonari opiparè nunquam non possimus.  
Hic Bacchum ab orbis lustratione quievisse, Flo-  
ram calathum effudisse, Cererem omnes divitias  
prodegisse dicemus, qui flumini nobilissimo cir-  
cumsitam pratorum amoenitatem, pratis agros,  
agris hortos, horis vineta admirandò naturæ tri-  
pudiantis delicio concinnata intuebimur. Jactet  
sane se Paradisum Europæ Italia, Galliæ Aquita-  
nia, Germaniæ Austria, Thuringiæ certè, feracis-  
simæ juxta & splendidissimæ regionis non Con-  
vallis Aurea, ipsi Terræ sanctæ ab utriusque lu-

*Vide M. A-  
drian. Beie-  
rum, Geo-  
graph. Je-  
nens. c. 26. §  
seqq.*

*Stutgardia-  
ni dicunt: sibi  
plus vini,  
quàm aqua  
esse. Lansius  
pro Germã.  
Or. 1.*

*Lansius O-  
rat. cit.*

C

stra-

Aratoribus prælata, sed JENA nostra Paradisus  
esto. Non alios testes affero, nisi nostros Peripa-  
teticos, qui oculis suis imò toti indies perambu-  
lant jucundissimos sinus, pratorumque virorem  
libantes hortorum ac vinetorum pompam ad-  
spectant. Quæ enim illæ aurium, quæ oculorum,  
& omnium sensuum sunt illecebræ.

*Virg. Georg.  
l. 2. p. m. 56.*

Avia cum resonant avibus virgulta canoris,  
parturit almus ager, Zephyriq; repentibus auris  
laxat arva sinus: superat tener omnibus humor,  
inque novos soles audent se gramina tuto  
credere: nec metuit surgentes pampinus austros,  
aut actum cœlo magnis aquilonibus imbrem,  
sed trudit gemmas & frontes explicat omnes.

Quid porro splendoris ab ARTE nacta est JE-  
NA nostra? Eleganti quadraturæ forma mœni-  
bus clausa, ædium numerosis ordinibus intra tam  
arctum limitem densatis, & specie novâ indutis  
intra paucos annos, semet miratur, felici adeo  
metamorphosi variatam, emerfisse. Cui bono  
non minimum augmentum per incolas, legibus,  
moribus, probitate egregios, additur, quos obse-  
quio in Magistratus, artificiorum strenuis exerci-  
tamentis & valido in præsidia mortalis vitæ con-  
nifu nemo non laudaverit. Hic enim Croesi  
judicium vim veri adeptum est, qui sardes  
jam

*Xenophon  
Cyropæd.*

jam non suas artificiorum culturâ stare, labi ne-  
glectu ostendebat Victori Cyro. Inter pluri-  
ma suffecerit memorasse unam illam artem me-  
morix, mortem oblivionis, & ingeniorum asy-  
lum, Typographiam, inventum, quò nil utilius  
dedit vetustas, quod unum cum omnibus omni-  
um veterum inventis certare facile potest.  
Quantum incalescunt ejus operæ, quantò nifu  
expediunt in publica commoda, quicquid Par-  
nasso, quicquid Apollini, orbi & Ecclesiæ à di-  
vinioribus animis dedicatur. Quod si hæc,  
ut ut cum aliis multis communis, ingens tamen  
est gloria, Agite, Auditores Honoratissimi, ex-  
pendamus, quanta ipsi rariori beneficio, mo-  
menta à suprema DEI bonitate accedant. Ab  
hac habet JENA nostra, quòd PURÈ RELI-  
GIOSA, quòd LITERATA, quòd VERÈ  
ILLUSTRIS & AUGUSTA existit. Ineffabi-  
li enim DEI gratia & immensâ bonitate factum  
est, ut JENA coelestis Hierosolymæ colonia  
evaserit, in civitatem Ecclesiæ Christianæ co-  
optata, & jura, honores atque immunitates il-  
lius omnes consecuta. Quæ una prærogati-  
va meretur, ut benignissimi & plusquam pa-  
terni numinis omnipotentiam & clementi-  
am per omnes seculorum decursus debeamus

*Philipp. Be-  
roald. ad A-  
pulejum.*

*Bodin. Me-  
thod. Hist.*

*c. 7.*

C 2

devo-

*Esaiæ 6.* devotissime venerari, atque nunquam deposita in-  
 enarrabilis beneficii memoria perpetuo grati in-  
 clamare: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus  
 DEUS exercituum: plena est omnis terra gloria  
 ejus! Quot illa heroes effudit, qui Lutherum, il-  
 lum Babyloniam Romanam everforem, insecuti,  
 quicquid Romanam Bestiam mancipatum fuit, Gi-  
 gantes, Antæos, Goliathos & patronos omnes,  
 infelici militiae devotos, fregerunt & oppresse-  
 runt. Cum præsertim Serenissima Celsissimo-  
 rum Principum ac Ducum Saxoniam Domus pie-  
 tate certarit, & in scholarum, templorum & alios  
 religiosos usus tam prodiga fuerit. Cum majores,  
 excessu quodam charitatis & devotionis, to-  
 tas provincias & ditiones nobilissimas Ecclesiasti-  
 co ordini donassent, & fecissent Pontifices regi-  
 bus, Episcopos Ducibus pares, autoritate, digni-  
 tate & externo pompæ satellitio majores, adeo,  
 ut unus Fuldensis Abbas sexaginta millia arma-  
 torum imperatori præberet in hostem, si Lipsio, li-  
 teris ad Urenhovium, fides est: Ipsi Augiæ illud  
 stabulum, Papalis superstitionis monstris opple-  
 tum, exosi, positâ hinc verâ ingenuæ pietatis & sa-  
 pientiæ officinâ, JENAM nostram summopere  
 condecoraverunt. Cujus rei argumentum lucu-  
 lentissimum exhibetur, si eam intueamur LITE-

RA-

*Morneus de  
 Eceles. c. ult.  
 & Histor.  
 Papat. circ.  
 finem.*

*Lipsius in  
 præf. de Ve-  
 stal.*

*In Centur.  
 miscell. Ep.  
 27. nisi er-  
 ror calculi  
 auxerit nu-  
 merum.  
 Anno 1558.*

RATAM. Si olim illam barbari Heneri tenuerunt,  
at hodiè, absit jactantia, JENA, literatissima est; e-  
ruditissima est, doctissima est. Jam

Et pueri nasum Rhinocerotis habent.

Nec longinqua est argumentorum venatio. Ve-  
ritatis enim tanta est vis, ut, cum hostes Germani  
nominis, Bodinus, Jovius & alii agnoscant Ger-  
manos humanitate Asiaticis, religione Ebræis,  
Philosophiâ Græcis, Geometriâ Ægyptiis, Arith-  
meticâ Phœnicibus, Astrologiâ Chaldæis supe-  
riores, & Itali ipsi, tam suo ipsorum palpo inge-  
niosi, à Germanis magistros petant, ad agros me-  
tiendos, ad temporum rationes emendandas, ne-  
mo verè Germanus JENAM nostram inter majo-  
rum gentium scholas non illustri maximè loco  
consistere fateatur, quæ scientiarum omnium se-  
creta feliciter recludat, & tam honori maximo sit  
civi germano benè nato, Athenas has vidisse,  
quàm rubori & opprobrio, illas non vidisse.  
Quod enim Plato in Ægypto, Pythagoras inter  
Chaldæos, quam Solis mensam Apollonius  
Tyanæus apud Brachmanas Indorum quæsit, id  
totum, amplissimis etiam auctum incrementis,  
correctum & explicatum JENÆ conspiciere fas est.  
Verè hic seminarium Doctorum, qui in omni di-  
sciplinarum genere enati sunt; non rari, aut rarò,

C 3

sed,

*In Method.  
Histor. & de  
Republ. l. 5.*

*c. 2.*

*Jovius in E-  
log. doct. vi-  
ror. circ. fin.*

*Bodin. Me-  
thod. cit. c. 5.*

*Jovius in e-  
log. Regio-  
montani.*

*Laërt. in*

*Plato &*

*Pythag.*

*Philostratus*

*in Vita ejus.*

*Diodorus  
Sicul. adde  
Itinerar. G.  
Raziwil.*

*Adriã. Bei-  
er. Catal.  
Rektor. Je-  
nens.*

*Claudiang.*

sed, tanquam ex equo Trojano, uno agmine sæ-  
pissimè plurimi. Magnæ artis creditur, quòd Æ-  
gyptii ova non incubatu gallinarum, sed fornacũ  
temperatõ igne excluderunt, quod & superiori  
adhuc seculo factum fuisse docemur; Nostra ve-  
rò JENA pullos Musarum Illustri ac summo loco  
oriundos simul innumeros edidit. Constat enim,  
albo Academiae, ab anno millesimo, quingentesi-  
mo quinquagesimo octavo, ad annum millesimũ  
sexcentessimũ quinquagesimũ octavũ, inser-  
tos esse millia viginti septem, quingentos & quin-  
quaginta septem, eosque inter Principes viginti  
sex, Comites triginta novem, Barones octoginta  
tres, promotos verò intra istud tempus Theolo-  
gos sexaginta duos. Jurisconsultos ducentos  
quinquaginta octo. Philosophos mille octingen-  
tos septuaginta tres, quibus si addere voluerimus  
eos, qui antè & post hoc tempus Academica tum  
civitate tum honoribus tractati sunt, indubium  
est, longè ampliorem numerum emerfurum esse.  
Tantus summatum & nobilium animorũ æquẽ,  
ac inferioris cavæ hominum ardor, in studia li-  
beralia, tantum splendoris JENÆ ab ipsis datum  
& relatum est. Ipsa sanè sapientiæ veræ nun-  
quam divitias nigrantibus abdidit antris. Nec te-  
nebris damnavit opes; sed largior imbre assolita  
est

est magnas hominum ditare catervas. Quippe, velut  
denso currentia munera nimbo, usque videre licet po-  
pulis nudare penates; assiduos intrare inopes, remeare  
beatos. Non enim intra titulos steterunt hæ acies e-  
ruditorum. Quicquid in re conditis naturæ mysteriis,  
quicquid in juris & æqui momentis, quicquid in salu-  
tis corporeæ curâ humana ingenia præstare possunt, id  
istis Semonibus magnam partem debetur. Quis nescit  
veteres, & quis hodiernos non intuetur triumphos à  
JurisConsultis contra injustitiam, à Philosophis con-  
tra stultitiam, à Medicis contra morbos, à Ἰσοδιότοις  
nostris Theologis contra hæreses partos, quàm non fa-  
bulosorum serpentum, Herculi à Junone immissorum,  
non Antæi suffocatione, non cæde apri Erymanuthæi, *Natalis Co-*  
nō Stymphalidarum avium expulsa, non Buffiridis ne- *mes Mytho-*  
ce, capturâ Cerberi, Nemeæi leonis occisione, Hydræ *log.*  
pernicie, & quicquid prætereà Herculeorum Laborum  
singitur, expeditione, sed errorum vitiorumque omni-  
um exterminio DEO mundoque pretiosi emineant. Un-  
dè famâ etiam solâ tactæ nobiliores animæ huc certa-  
tim confluant indies, ut tantos Doctores coràm vene-  
rentur. Qui ardor nihilum remitteret, sed magis alere-  
tur, Serenissimi Principes nostri continua gratiæ suæ  
incentiva subjeiciunt. Vidit JENA sua numina, & præ-  
sentium augustos vultus venerata est; sensit efficax in-  
dubiis præsidium, in arduis auxilium. Et quid, quæso,  
divinius ipsa experiretur, quàm, ut Illustris & gloriosa  
hodiernum efficeretur augustissimâ Serenissimi nostri *Cepit hic*  
BERNHARDI præsentia. Felicitati summæ olim *residere ab*  
tributum à populis quibusdam, si reges suos totâ vitâ *Anno 166*  
vel semel cernere possent. Nostra JENA perpetuâ Opti-  
mai maximi Principis intuitu fruitur, à quo nunquam

tri-

4  
10  
9  
10  
Casspar Ens  
in deliciis  
Apodem.  
per Hispan.  
P. 89.

Laërt. in  
vita ejus.

tristis, nunquam non felicior discedit, visa placido ac clementissimo lumine, & suis luminibus novos subinde splendoris corruscantissimi radios foenerata. O beatam igitur & verè illustrem JENAM nostram, arcem Virtutis, vitiorum domitricem, ac Templum terreni ac supremi Numinis pulvinaribus augustissimum. Equis incolatum ejus, tot naturæ, gratiæque divinæ decoribus fulgentis, non ipsius Ulyssiponæ, Hispalisve civitati prætulit? Illæ divitias & lautia corporis, hæc etiam vera animi bona, quæ sola cripi non possunt, omniam autem calamitatum hostiumque victores possunt efficere, tam facilè, tam abundanter, tam constanter suppeditat. Quemadmodum igitur Plato, morti jam vicinus, naturæ gratias egerat olim, quòd natus esset homo, non belua, masculus non fœmina, Græcus non barbarus, Atheniensis non Thebanus, præsertim verò Socratis temporibus: Sic ego nunc divinæ Majestati hymnos laudum & gratiarum devoto corde decanto & decantabo, quamdiu hujus lucis usura fruar, quòd me fecerit hominem, quòd Christianum, quòd Germanum, & cum primis, quod vitæ auspiciis meæ capere permiserit in JENÆ, felicissimæ Musarum Parentis nutricisque gremio. Huic ego à Præpotenti Inclytæ civitatis, & quæ ipsam illustrat, Academiæ Protectore, post vota pro Salute Serenissimi Principis BERNHARDI, Domini mei clementissimi, concepta, & Vobis Splendidissimi Domini Auditores, respectivè Patroni gratiosi, Doctores fidissimi, Fautores plurimi venerandi, qui me Patriæ litantem patienter, & ni judicii fallor, benignè audivistis, Vobis, vel hoc gratitudinis argumento, apprecor omnigenam ad excurrentis seculi terminos perennantem, omnique parte expletissimam felicitatem

D I X I.

VON 10 15



Q.H. 126, 2.

ORATIO  
 DE  
 IENAE  
 Celeberrimi Musarum  
 cili LAUDIBUS,  
*Pietatis ergò publicè  
 habita*  
 à  
 SALOMONE JUSTINO  
 STIO, Jenens. Thuring.  
 A. O. R.  
 M. DC. LXV.

Typis JOHANNIS VVERTH

